814



NOBILISSIMO, CLARISSIMOQVE VIRO D. D.

PETRO SEGVYN,

REGI AB INTERIORIBVS CONSILIIS,

REGINÆ ARCHIATRO, NEC-NON SALVBERRIMÆ

SCHOLÆ MEDICÆ PARISIENSIS

ANTIQVIORI MAGISTRO.



NICOLAVS RICHARD Ἀθανασίαν.



ADITVRO mihi limen tuum, & antiquissimi beneficij monimenta consecraturo (VIR CLARISSIME) vna maximè obstitit animi tui moderatio, timuique ne si virtutibus tàm luculentis quidquid est omnium consensione laudis acquisitum redderem, ipsa excandesceret modestia, indeque sibi iniuriam fieri quereretur, vnde aliis officij significationem meditarer. Ita enim æmulâ concertatione reliquarum virtutum famam occupat Humilitas, & Christiani hominis decus summum sui-ipsius neglectio, vt hoc tibi singulare sit laudis fugâ laudem emereri, & gloriæ, quâ pruriunt vniuersi, fastidio ad gloriam etiam nolendo peruenire. Inde Christianissimi Regis prona in te amandum benignitas, cùm vitiorum simul & morborum victorem animaduertit, nec naturæ magis scientiâ ac contemplatione, quàm naturæ Artificis cultu & religióne commendandum. Cuius amoris suffragium est, honorifica in sacratioris consilii penetrale admissio, vt non modò Regi, ac Reginæ, sed vniuersæ quoque Reipublicæ prodesses. Meritò itaque te Seniore Facultas toto orbe clarissima gloriatur, & viget, cuius vota consiliaque si perennitatem parerent, fores in perpetuum Senior, maximè cum virtuti magis, quàm ætati debeas, quòd te omnes colunt, famaque ac existimatio tui nominis vnâ pene cum vitâ ac primis adolescentiæ studijs incepisse videatur. Patere itaque, vt è Crucis flosculo alacritatem, è Sole lucem, è Rosis amœnitatem studijs nostris ac laboribus impertias, vt quidquid seu vigore firmum, seu perspicuitate splendidum, seu gratiâ delectabile, nostra hæc tulerit disputatio, id debere tibi omnes intelligant, & tam sacra auspicia etiam benigni hostes quibuscum confligo, agnoscant & vereantur.

VALE ET VIVE.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM; DIE IOVIS XV. MARTII,

M. GABRIELE HARDVINO DE S. IACQVES, Doctore Medico, Moderatore.

814.

An aſtrictis [illegible] Cathartica?



VENTRIS ſegnities morborum ferax, à quâ manat vaſorum impuritas, & omnium ξύγχυσις: morbus eſt ſiccus, qui in omnibus vitio feruoris viſcerum & ſiccitatis oritur. Intra ſanitatis limites ſpirante Boreâ [illegible], frigus externum, cibi calidi ſicci, & veneris vſus, ἐκ τῆς γαστέρος σκληρύνει: cutis raritas, carnium gracilitas, congenita Iecoris intemperies, pariunt aluinæ regionis πυκνότητα, quæ nullis niſi à morbo ſurgentibus, & fame laborantibus vtilis. Ægris autem pernicies vbi σπυράθια deiiciuntur, ἧπαρ enim πεπονθὸς ἐστι, lien, vel meſaræum, vel quidpiam in ventre.



SICCITAS aſtrictionis cauſa eſt. In albis auriginoſorum deiectionibus ſine ſiccitate, bilis penuria non ſufficit; veluti balbutientes ſine ventris humiditate, longa non exercent profluuia: an præpolleat ille in aluo ſolidâ & robuſto hepate ventris omnem ſuccum exhauriente? Nedubites! Si excedat, vergit ad ἄυανσιν & ἀτονίαν. Dyſcraſia omnis aduerſæ parens eſt valetudinis, quæ primigenia cadit in partes, parenchymata, & humores, ipſâ mutatione caloris natiui: ſic iuuenibus alui ſi fuerint humidæ, in ſenectute ſiccantur: ſi verò ſiccæ, ſeneſcentibus humeſcunt. Sic μεγαλοσπλάγχνοις, lienoſis, & ad maraſmum hydropicum vergentibus, alui duræ. Vel extrinſecùs incidens alteratio vitæ inſtituto naſcitur, quâ ſata & coæua redditur ἐπαυξής.



QVÆCVNQVE calida ſicca ſunt, igniculos igni ſuggerendo, ventris aſtrictionem augent, vt carnium bubularum eſus & οἰνοφλυγία, quibus deterior frequens purgantium vſus. Omnia Cathartica calida ſicca ſunt (ne quoque Caſſiam demas) celeriúſque ſuam quàm alimenta calidæ facultatis impreſſionem inuehunt, illa mutant, hæc mutantur. Illorum virtus helctice beneficio caloris actionem edit. Non purgarent, niſi calefacerent. Vim catharticam, quæ non primis qualitatibus nec toti ſubſtantiæ hæret, non emendat ἄποιον ὕδωρ. Purgantis in frigidâ dilutio, vel infuſio, prout imbuta calorem induit. Quid mirum inde, ſi pro gradu purgationis ſimilis ſuſcitetur calor? ſi mochlica magis vrant & emetica? ventrem non emolliendo, ſed exprimendo & tergendo ſubducunt: ſic aluum ſtrictam ſoluere, per incrementum morbificæ cauſæ, ſymptomati mederi eſt.



NON ſolùm educendis humoribus vel excrementis, ſed euphoriæ & ei quæ relinquitur à medicamento viſceribus diatheſi conſulendum. Gaudent nonnulli, ſi copioſiùs in præſens deſederint; verum quantò magis ſunt vacuati, tantò his venter ſequentibus diebus magis aſtringitur. Sic ὕδερος ab hepate qui ſemper cum aluo ſtricta eſt à medicamento ſubſidens, paulò poſt maiori cum detrimento recurrit: ſic febrium paroxyſmi purgationibus incandeſcunt, quòd in intemperie viſcerum ſuam ὕπαρξιν habeant. Fruſtra per ἐπίκρασιν tentatur leuatio, cùm inexhauſta manet perennitas; imò multum adiicit mali, atque damnis implet ἄτονον hepar, vel ſatis ſuperque calida atque feruentia hypochondria, à quibus perenniter crudus generatur humor, qui ſtatim in ortu ſuo qualiſcumque ſit contumax eſt & ineptus purgationi. Hinc per initia febrium ac etiam malignarum noxia catharſis, rheumatiſmo, colicis pictorum & pictauorum doloribus; Sed hepatico fluori, & hæmorrhoiſſæ mulieri prorſus lethalis.



CVM aluus benè morigera eſt, μηδὲ πυκνὸν μηδὲ ὀλίγον à matutinâ exercitatione deijcit, εὐαγέες fiunt homines & εὔχροοι; Veluti mulierum menſtrualium vt decet facies videmus λειοτέρας εἶναι & ἀγλαοτέρας: Contrà ſi dura ſit aluus; faciem obſcuram, & ἐρυθήματα refertam habent. Fugax in exortu vitium eſt, ſucceſſu verò fit δυσίατον. Emendandæ verò reſtrictionis documentum ſit, retentionis cauſæ contrarium admouere: non igitur acribus & ſiccis per os vel per inferiora infuſis, non braſſicâ, cnico, ſennâ, mercuriali, nec melle communi aluus ſubducenda: ſed humidis emollientibus, refrigerantibus enematis cum oleo & oxycrato paratis, decoctis maluæ, lactucæ, violarum, nymphea; humectante victu, & immutato comeſtorum ordine, itaut humida primis, ſolida poſtremis menſis apponantur.

Aſtrictis igitur [illegible] non Cathartica.

261.

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS RICHARD, Pariſinus. A.R.S.H. M.DC.XXXV.